✠ CLEMENS EPISCOPUS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.



Omanus Pontifex, quem cœlestis paterfamilias Vineæ suæ custodiendæ præposuit, diu noctuque operarios, impigrè in ea laborantes, circumspicit, congruam, immo amplam mercedem eis largiturus, vt Vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, vberiori proventu fructificare possit.

(I) *Romanus Pontifex Vineæ custodiendæ præpositus.*

Sane felicis recordationis prædecessor noster Benedictus Papa XIII. strenuas Ordinum regularium, & mendicantium cohortes hanc Domini Vineam, atque agrum Ecclesiæ, indesinenter colere conspicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam nos ipsi vtique afficimur, plura eis privilegia concessit, ratus, ea pari voluntate vniversim excipienda: quod tamen secus evenisse, nos ad supremi Sacerdotij apicem, disponente Domino, evecti, ægrè intelleximus; inde nimirum præter omnem expectationem nostram varijs litibus, & controversijs exortis, ac nisi opportunè ocurratur, fortasse in posterum exorituris. Quare nonnullis ex hujusmodi literis, & Costitutionibus Apostolicis maturè perpensis, ad sedandos rumores propterea excitatos, mutuamque, & verè Christianam inter Episcopos, & regulares familias, ac etiam sæculares Ordines, & sodalitates, publicasque Vniversitates, benevolentiam, & pacem vbique in Ecclesia servandam, de consilio nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in hanc sententiam devenimus, vt subsequentibus literis, & Constitutionibus Apostolicis, eodem Pontifice Benedicto sedente, vulgatis, moderationem aliquam, auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Literæ vero ipsæ, & Constitutiones, Ordinibus regularibus pridem concessæ, hæ sunt.

(II) *Privilegia ordinibus regularium concessa, ob pacem Ecclesiæ ad moderationem revocantur.*

Editæ IV. idus Decembris anno Domini MDCCXXV. quæ incipiunt: *Paterna.*
Aliæ IX. Kal. Junias anni MDCCXXVI. quæ incipiunt: *Ratio Apostolici ministerij.*
Aliæ III. nonas Julias ejusdem anni, quæ incipiunt; *Singularis devotio.*
Aliæ VIII. Augusti ejusdem anni, quæ incipiunt: *Exponi nobis nuper fecerunt.*
Aliæ Kalendis Septembris ejusdem anni, quæ incipiunt: *Vitæ, & morum integritas.*
Aliæ Kalendis Januarij anni MDCCXXVII. quæ incipiunt: *Libenter.*
Aliæ V. nonas Martias ejusdem anni, quæ incipiunt: *Loca sancta.*
Aliæ Kalendis Aprilis ejusdem anni, quæ incipiunt: *Ex quo Sedes.*
Aliæ V. nonas Aprilis ejusdem anni, quæ incipiunt: *Summé decet.*
Aliæ VII. Kalendas Junias ejusdem anni, quæ incipiunt: *Pretiosus*, vnà cum declarationibus sub die XXVIII. Septembris anni MDCCXXVIII. ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubijs, circa intelligentiam rerum, in ipsa Constitutione contentarum exortis.
Aliæ XXI. Martij anni MDCCXXIX. quæ incipiunt: *Exponi nobis fecit.*
Aliæ demum VII. Kal. Aprilis ejusdem anni MDCCXXIX. quæ incipiunt: *In Sede.*

Quammvis autem hæc omnia, & singula ex ejusdem recolendæ memoriæ Benedicti pia, &

(III)

Eadem privilegia pio, & laudabili fine concessa, lites, necessario sedandas, excitaverunt.

& laudabili erga regularium familias voluntate, profecta fuerint, quos ipse ob eorum zelum de salute animarum, religionis fervorem, doctrinam, & regularis disciplinæ observantiam, magna, ac verè paterna dilectione prosequebatur, nosque ipsi æquè prosequimur, concessa, extensa, decreta, confirmata, & declarata fuerint; nos tamen, qui post varias altercationes, & dificultates de ijsdem literis, & Constitutionibus excitatas, optatam sanctæ Dei Ecclesiæ tranquilitatem præ oculis habemus, volentes, vt vniversis Dominici gregis pastoribus, ac presertim venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in partem sollicitudinis nostræ vocatis, liberum jurium suorum, quæ summi Dei gloriam, & animarum salutem respiciunt, in illorum diœcesibus exercitium servetur; quæque illud quodmodocumque impedire, & lædere fortasse possunt, pro virili nostra penitus amovere cupientes, quemadmodum aliàs Romani Pontifices antecessores nostri sæpius egerunt; nos quoque ad preservandum iisdem Patriarchis, Atchiepiscopis, & Episcopis, ac quibusqumque alijs Ordinibus, ac cœtibus ecclesiasticis, & sæcularibus suorum jurium exercitium, & posessionem, amovendamque quarumcumque dissensionum, & litium occasionem, ex concessa nobis divinitus Apostolicæ potestatis plenitudine, eorundem antecessorum nostrorum Pontificum Romanorum vestigijs inhærentes, statuimus, & decernimus, de omnibus, & singulis prædictis literis, & Constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt; nec non de omnibus privilegijs, gratijs, faboribus, indultis exempcionibus, facultatibus, & declarationibus, in iisdem contentis, eam deinceps decisionem, ac judicium, etiam in foro conscientiæ, habendum, quod sive èx jure communi, sive ex Concilio Tridentino, sive ex decretis, & Constitutionibus Apostolicis, sive aliás, legitimè habebatur antequam eædem literæ, & declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet, ac si illæ non emanassent: ab quam dispositionem, eiusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enunciata, omnino reducimus, & reducta esse volumus, ita vt imposterum supradicti Ordines Regulares earumdem litterarum, & Constitutionum vsu, commodo, & effectu pænitus carere debere intelligantur.

(IV)

Decreta irritantia, iisdem privilegiis apposita, ad miam iuris communis reducuntur.

Hinc ad præmissorum effectum pro nullis, & infectis haberi volumus omnia decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque in literis, & Constitutionibus prædictis quomodolibet apposita, atque alia eorumdem occasione facta, hinc reductioni, decreto, & voluntati nostræ quomodocumque adversantia, quibuscumque ea essent concepta formulis; ac præservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatorijs, aliisque validissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, præsertim quod semper in data cuicumque constitutioni, illarum revocatoriæ, imposterum edendæ, posteriores censeantur; etiam motu proprio, & potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia: etiam consistorialiter, etiam pro conservatione status regularis, etiam in vim contractus, & stipulationis, inter Sedem Apostolicam, & Ordines prædictos initæ, quam ad huiusmodi effectum rescindimus, & ex nunc rescissam, nulliusque roboris, & momenti esse volumus, & decernimus; ideoque omnes dissensiones, altercationes, & lites coram quibuscumque Judicibus Ordinarijs, Extraordinarijs, & Comissarijs, etiam causarum Palatij nostri Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, nec non quacumque eorumdem Cardinalium Congregatione, prædictarum literarum, & Constitutionum occasione iam motas, necdum decisas, aut finitas, vel etiam quæ iam decisæ essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus imposterum excitari contingat, iuxta iuris communis, Concilij Tridentini decretorum, & Costitutionum Apostolicarum, ac præsentem hanc nostram dispositionem, nec aliter, decidendas esse præcipimus. Futura verò dubia, & difficultates, vbicumque, & quandocumque oriantur, ad nos, & Sedem Apostolicam, ad quam pontificiarum Constitutionum, atque Ecclesiasticarum sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus.

Itaque

Itaque omnia, & singula hactenus memorata, nec non præsentes, etiam ex eo, quod causæ, ob quas emanaverint, comprobatæ, expressæ, & verificatæ; aut in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque iisdem consenserint, vel aliás ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, sive alio quovis defectu notari, & impugnari, argui, infringi, retractari in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta, semper, & perpectuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari omnino statuimus; sicque, & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatij nostri Auctores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, quavis auctoritate, & facultate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scientér, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus, & decretum esse volumus; non obstantibus præmissis, nec-non nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tolendo*, nec-non omnibus, & singulis prædicti Benedicti decessoris, ac declarationibus super dubijs, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec-non omnium, & singulorum ordinum prædictorum, ac eorum cuilibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegijs quoque, indultis, etiam mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, literisque Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in especie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & pluries innovatis: quibus omnibus, & singulis, atiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expresio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret; eorum omnium, & singulorum tenores, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresis, & ad verbum insertis, habentes, illis aliás in suo robore permansuris, latisimè, & plenisimè, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressé derogamus, ceterisque quomodolibet contrarijs quibuscumque.

(V) *Clausulæ ad præsentes literas perpetuo servandas.*

Volumus autem, vt eædem præsentes in valvis Basilicarum Sancti Joannis in Laterano, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, quoscumque illæ respiciunt, arctent, & afficiant, perinde, ac si unicuique coram, & personaliter intimatæ fuissent, vtque earumdem præsertium transumptis, etiam impresis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

(VI) *His omnimoda fides adhibeatur.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, decreti, voluntatis, moderationis, & reductionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

(VII) *Nemo eas infringere audeat.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo

lesimo septingentesimo trigesimo secundo, tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

A. Card. Prodatarius.
F. Cardinalis Oliverius.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

D. Strivanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESV CHRISTI millesimo septingentesimo trigesimo secundo, die secunda Aprilis Indictione decima, Pontificatus Sanctissimi in CHRISTO Patris, & Domini Nostri, Domini CLEMENTIS Divina Providencia Papæ XII. anno secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Bandinum Cheti Apostolicum Cursorem.

Nicolaus Capelli Magister Cursorum.